204)

Clarissimo Viro Wolffgango Hallero Consiliario
Palatino David Pareus S. P.

Quod literae meae, Vir Praestantissime et amice honorande, redditae non sunt, tabellariorum negligentia vel perfidia factum sit oportet. Certò enim hoc Tibi confirmo, me illicò cum superiores tuas legissem, id quod volebas apud Typographum egisse; et mox responsum ejus ad te perscripsisse; nempe cum exemplaris chartas non omnes ad manus, sed partim Basileae, partim Francofurti habere, nec ante nundinas restituere posse. Haec fuit summa; Nunc denuo efflagitationem tuam ei exposui, nec ille gravatim ea, quae habuit in fasciculum collecta mihi restituit, unà cum exemplari Actorum, quae nunc penes me habeo. Ea igitur cum ita velis, proximo tabellario tradam; quanquam consultius judicarem, Acta hîc relinquere, siquidem Harnisius imprimere velit. Sed et ille tergiversari crebrò solet, et cum isthic novam typographiam institui intelligam, fortè commodius ibi editionem curabis. Proxima igitur occasione utrumque exemplar ad te mittam. Miror aulae ingratitudinem; sed mirum non est in tanta ἀταξίᾳ multa non rectè geri; nec tu solus aut primus oleum et operam perdidisti: si tamen perdidisti. Certè Ecclesiae operam navasti utilem et tibi gloriosam ad posteros. Et nosti mores aulae nec non versiculum aulicum: Da, capias, quaeras, plurima, pauca nihil. Meum exemplar, quo me donasti, nuper admodum à compactore recepi. Observavi desiderari indicem capitum et versuum singulorum Evangeliorum, quota pagina reperiantur, admodum necessarium. Operae pretium fuerit, eum adhuc inseri exemplaribus post praefationes, de quo primum consilium

consilium audire cupio. Bene vale, Vir praestantissi-
me, et operâ meâ, in quibus hic potes, liberè utere.
Dominus Jesus te Reipubl. et Ecclesiae diu servet.
Heidelbergae XIII. Sept. a. 1591.

T. E. Stud. D. Pareus.

Sal. in Christo. Scripsi superioribus diebus, mi Paree, 205)
ad te copiosius per filium Confluentini nostri, ad vos abituri,
eundem, quem rogavi juvares, ut in numerum stipendiariorum
posset recipi, cum hic patronum non inveniat. Sed si is ad te non
veniret, volui tamen te hac epistola compellare et significare
tibi quantopere exhilaratus fuerim, quod illo temporis spatio, quo te
non vidi (sunt autem anni non plures 14. aut 15. plurimum) usque adeo
praeclare in Philosophia et Theologia profeceris, ut studii
tui fructus jam uberes multi jam percipiant. Vidi n. et quem
Rostochii apud Nath. Chytraeum defensionem editionis Bibliorum
in qua vidi tractatum locum de praedestinatione. Vidi quae contra
Pisc. de Contrad. scripseris, et recens 3. partis Explic. Catech. in
quibus legi cum voluptate duas praefationes illas prolixiores.
Opto ut Deus tibi animi & corporis vires confirmet, ut in hoc
cursu progrediaris alacriter: et rogo ut non intermittas
plures etiam partes explicationum D. Ursini evulgare: eas
enim optimas continent et requiro adhuc, quae de ordine
studiorum illum meo tempori dictare vobis memini. Inprimis
et rogo mi: Apologiam pro editione Bibliorum ad me mittas,
cum isto scripto (quod ipsum quoque forte tuum est) Tubingen-
sibus opposito, qui illud vocant [illegible]: colligo ex nundina-
rum catalogo, fuisse responsionem ad calumnias Tubingensium,
qui nostros traduxerant, ac si in desperationem homines
doctrinâ de Praedestin. adducerent. Valde nobiscum [illegible]
ut forte in belg. idioma transfunderemus; ideò et Ursini 3. illas
conciones in quibus una est de praedestinatione valdè oppe-
terem. Rogo ut hac exempla tradas Comelino, tradenda vel Fran-
coferensi vel d. Amsterdamensi bibliopolae, ascripto pretio et
nomine meo, ne aliis vendantur. Quamvis verò nomen me-
um inscriberetur propter causam quam dixi, tamen Comelinus
in rationes suas ferret hos libros, nec minus ac si ipse eos
vendidisset librariis, quos dixi: ita habet ut ego librariis
tibi verò Comelinus eosdem solvat. Si nosti commodiorem
tibi pretium solvendi rationem, facile patior ut ea utar,